



Mr. Michael Zeger

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
S. S. COENA
DOMINICA,

33.

Quam
Jehovâ clementer annuente

Sub PRÆSIDIO

*VIRI Magnifici, Admodum Reverendi, Amplis-
simi, atq; Excellentissimi*

DN. JOHANNIS MEISNERI,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemq; Prof. Publ. longè
famigeratissimi, & Alumnorum Electoralium Ephori
gravissimi, nec non Academiæ in præsens

RECTORIS MAGNIFICI,

*Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui
omni observantia cultu ævum devenerandi*

In Illustri ad Albim Universitate

*Placida Eruditorum ventilationi publicè
proponit*

JOHANNES MEIBOMIUS,

Oberndorffiô - Bremensis,

Die XVIII. Novembris, ANNO MDC LVIII.

IN AUDITORIO MAJORI.

WITTEBERGÆ, Typis MICHAELIS BENDÆ.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

S.S. C. S. C. O. E. N. A.

DOMINICA.

Jehova's clemenciae annuente

sub praesidio

Viri Magnifici, Admodum Reverendi, Amplissimi

Summi, ac Excellentissimi

Dr. JOHANNIS MEISSNERI.

S.S. Theol. Doctoris, eiusdemque Prof. Publ. longae

famigeratissimi, & Alumnorum electionis Episcopi

gratissimi, ac non Academiæ inceptoris

RECTORIS MAGNIFICI

Dr. FRIDERICI, Patroni ac Promotoris

omni respectu, ac cultu, ac honoribus

In Illustri ad Almam Universitate

Placida Eruditionis tranquillitate publicè

JOHANNES MEISSNERI

Operosissimo - Brunnensi,

Dr. XVII. Novembris, Anno M. DC. LXXII.

IN AUDITORIO MAJORI

WITTEBROE, Typo MICHAELIS BERNI

In nomine Jesu dulcissimi!

Thef. I.



Dominus ac Salvator noster
Jesús Christus, cum primùm
venerabile ac solenne epulum,
quod Cœnam Dominicam vocamus,
institueret, & cum pane corpus suum,
quod pro nobis in mortem traditum
est, cum vino item sanguinem suum,
qui pro nobis in remissionem pecca-
torum effusus est, manducandum &
bibendum exhiberet, non solum medium esse voluit, quo gra-
tiam DEI, fidem ac remissionem peccatorum impetrare ac con-
servare liceret, sed etiam Christianæ pacis tesseram, quâ animi
fidelium & quotquot de uno pane & de uno calice participant,
unirentur invicem, & ad mutuam charitatem revocarentur.
Sed fraude Diaboli & hominum sive vecordiâ sive improbitate
factum est, ut, quod pacis & concordia vinculum inter Chri-
stianos esse debebat, nunc pomum quasi Eridos & asperrimæ
litis odiiq; materia existat. Neq; enim ullum aliud doctrinæ
cœlestis caput facile reperire licet aut magis controversum, aut
à pluribus hæreticis impetum, sed inventi semper sunt, qui
sanctissimum & venerabile hoc mysterium vel elevarunt mirum
in modum, vel mutilarunt, vel deniq; planè è medio tollere,
atq; in tam sublimem locum ac fastigium delira somnia & com-
menta cerebri sui collocare conati sunt. Quæ omnia etsi ab
aliis luculenter pertractata discussaq; jamdudum sint, nihil ut
iis addi facile queat, nosq; adeò supersedere hac operâ forsan
potuissemus, quia tamen aliquid exercendi ingenii & veritatis
ulteriùs indagandæ causâ afferendum erat, unam atq; alteram
controversiam breviter in medium adducere, atq; examini
publico offerre lubet.

Δ 2

II. POS-

II. Possunt autem errores omnes aut saltem præcipui, qui circa augustissimum hoc & angelis ipsis obstupescendum Sacramentum paulatim in Ecclesiam irreperunt, ad quatuor capita seu causarum genera revocari, quorum primum agit de auctore seu causa efficiente principali. Alterum de materia, seu re terrenâ & cœlesti. Tertium de forma seu certâ actione à Christo Domino instituta. Ac deniq; ultimum de effectu seu usu ejus salutari. Quâ methodo etiam nos in præsentî, ne nullo aut incerto ordine hinc inde divagemur, usuri, omnia verò ad primævam institutionem, tanquam ad vernaculum & genuinum principium, revocaturi sumus, cum inde tantum, non aliundè, & quid de hoc Sacramento credendum, & quomodo peragendum sit, statui oporteat. Cujus rei præeuntem habemus Apostolum, qui, cum corruptelas circa hoc mysterium in Ecclesiam Corinthiacam invectas abolere vellet, in memoriam auditoribus suis verba Institutionis revocat, ostendens, id demum rectè atq; ordine, quod substantiam attinet, fieri, quod in illis expressum esset: *Accepi à Domino, inquit, quod & tradidi vobis*, I. Cor. XI. 23.

III. Causam efficientem igitur principalem, ut aliorum Sacramentorum omnium, ita & hujus, esse unum & solum DEUM, seu Christum Dominum & Salvatorem nostrum ex verbis institutionis manifestè liquet, quæ apud tres Evangelistas & Paulum Apostolum, testes omni exceptione majores, eodem modo leguntur, quòd scilicet Jesus sumpto sacro pane & benedicto calice solennem & Judæorum paschati æmulam actionem & instituerit & primus administraverit, omnesq; Christianos, qui post futuris seculis aut aliis exhibituri, aut ipsi frequentaturi hoc sacrum essent, juxta primævam institutionem peragere jusserit. Nec dubium ullum est, quin Ecclesia primitiva quod & quomodo à Christo & Apostolis acceperat, id ipsum & eodem modo in publicis cœtibus & administrationibus constanter observârit. Quare ab hoc auctore ejusq; institutione tota actio secundum esse suum & quoad efficaciam unicè dependet, ac proinde nullus homo, quantacunq; sanctitate aut eruditione polleat, facultatem aut mutandi quippiam, aut removendi & aliud

aliud medium salutis æternæ participandæ accommodatum instituendi sibi arrogare debet. Nisi enim DEUS aut Christus instituisset, nemini mortalium de eo quicquam in mentem venisset.

IV. Et ratio quoq; manifesta est. Cùm enim *novos articulos fidei edere aut editos remove, aut nova Sacramenta instituere aut instituta remove sui potestatis excellentiæ*, ut loquitur Thomas in IV. sent. d. XVII. q. III. art. I. sive ejus, cui competit dominium, ut pro arbitrio credenda ac facienda, ut salute aliquando potiaris, præscribere possit, utiq; soli DEO hoc debetur, quippe cujus arbitrio & dominio universa hominis vita ac beatitudo subest. Quemadmodum ergo nullus homo ac ne universa quidem Ecclesia hac potestate prædita est, ita in nullius quoq; hominis, nullius item Ecclesiæ potestate situm est vel articulum aliquem fidei condere, & quid ad æternam salutem consequendam scitu ac creditu necessarium sit, constituere, vel Sacramentum novum instituere aut institutum remove.

V. Accedit & altera, quòd Sacramenta sint media ad id à DEO instituta, ut per ea bona supernaturalia, qualia sunt, gratia DEI, remissio peccatorum, atq; ipsa æterna beatitudo, adipiscamur. Sicut ergo rursus bona ista supernaturalia, in primis verò æternam salutem nemo dare potest, nisi solus DEUS, ita quoq; media illi adipiscendæ idonea sancire & instituere itidem nemo potest, nisi solus DEUS. Unde enim efficacia mediorum salutis, inde & media ipsa, eorumq; natura & institutio dependet.

VI. Eadem quoq; primitivæ Ecclesiæ hac de re doctrinam atq; sententia fuit. Ita enim Ambros. lib. IV. de Sac. c. IV. *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cælo Sacramenta ista venerunt.* Ita quoq; Cyprianus, vel quisquis auctor est libri de ablutione pedum: *Ipsè summus Sacerdos sui est Sacramenti auctor & institutor.* Et *quòd* Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium, cum contra aquarios disputat, ante omnia eos ad primam institutionem à Christo magistro factam revocat, ne humanam & novellam institutionem ab eo, quod ipse præcepit ac gesit, decedant, sed potiùs ad radicem atq; originem tradi-

tionis Dominicæ revertantur. *Admonitos autem, inquit, nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit.* Et cum illi antiquam & à multis jam receptam consuetudinem objicerent, ipse solum Christum, utpote hujus Sacramenti auctorem, audiendum, & quod ille fecit, ac faciendum mandavit sequendum esse asserit, id enim patrem de cælo contestari, dicentem: *Hic est filius meus dilectissimus, in quo benè sensi, ipsum audite.* *Quare si solus Christus audiendus est, pergit, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus, prior fecerit.* *Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Quibus gemina apud Irenæum lib. iv. adv. hæret. cap. xxxii. & xxxiv. Dionys. Areopag. ut vulgò putatur, Eccles. hierarch. cap. iii. Clement. Rom. lib. vi. Apostolic. instit. cap. xxiii. aliosq; leguntur.

vii. Et quid multis opus est? Habemus enim confitentes reos, ex antiquioribus Scholasticis Doctoribus plerosq; & recentioribus pontificiis non paucos, qui apertè fatentur, neminem nisi solum DEUM Sacramenta nova instituere, & quæ semel instituta sunt, abrogare posse. Thomæ verba quædam supra præduximus, nunc ex eodem loco integra etiam subjiciemus: *Ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclesia divinitus fundata, & ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicuti opus creationis supponitur ad opus nature, & quia Ecclesia fundatur in fide & Sacramentis, ideo ad ministros Ecclesiæ novos articulos fidei edere aut editos removere, aut nova Sacramenta instituere, aut instituta removere non pertinet, sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.* Quod si verò potestas instituendi nova Sacramenta soli Christo, uno cum patre & Spiritu sancto DEO, debetur, certè nec pontifici, nec Ecclesiæ universæ eadem debetur, etsi totus mundus in rem aliquam consentiret. Idem Thomas part. iii. q. lxiv. art. ii. *Cum virtus Sacramenti sit à solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit Sacramentorum institutor.* Audiatur etiam Gabriel Biel in iv. d. i. q. ii. *Institutio Sacramentorum, quæ non solum representant, sed certò & efficaciter signant sacramentalem effectum,*
per

per solus Deum fieri potest, qui solus effectum supernaturalem cau-
sari potest. Atq; ita etiam cæteri, qui certatim velut agmine
facto magistrum hac in parte sequuntur. In ipso etiam Concilio
Tridentino pleriq; Christum omnium Sacramentorum esse in-
stitutorem, idq; fide tenendum assererebant, quemadmodum
Petrus Suavis lib. II. Hist. testatur: quanquam pauci alii cum
Magistro sententiarum, Bonaventura & Alexandro quædam
saltem Sacramenta non à Christo sed Apostolis aut eorum suc-
cessoribus esse instituta dicerent, ac tandem suaderent, caput
illud non esse definiendum, ne Catholicorum, quos vocabant,
opinio damnaretur.

VIII. Atq; ex hoc consilio editus est canon, tanto arti-
ficio & fraude compositus, ut neutri sententiæ inter pontificios
præjudicium afferret. Ita enim Sess. VII. de Sacram. in gen.
can. I. Areopagitæ Tridentini sub anathematis fulmine pronun-
ciant: *Si quis dixerit, Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Jesu
Christo, Domino nostro instituta, anathema sit.* Non definiunt au-
tem, I. utrum Sacramenta omnia à Christo immediatè, an me-
diante Ecclesia instituta sint? seu, quod perinde est, an Deus
potestatem Sacramenta nova condendi, aut vetera abrogandi
nulli creaturæ communicaverit, aut communicare possit? Nec
II. an de Sacramentis omnibus, etiam quæ institui adhuc pos-
sint, an verò de institutis jam & in Ecclesia receptis loquantur?
Interpretes sanè tum Thomæ & Magistri, tum Concilii Triden-
tini in hunc usq; diem de mente ejus digladiantur, ita ut non-
nulli de immediata institutione canonem intelligant: *Alioqui
Concilium frustra Canonem illum posuisset, cum nemo unquam dubita-
verit, quin saltem mediatè à Deo sint instituta.* Præterea idem Con-
cilium Sess. 14. canon. I. agens de Sacramento unctiois extrema, se-
ipsum explicat, cum ait: *Sacramentum ab ipso Christo institutum
fuisse, sed à B. Jacobo Apostolo promulgatum.* Deniq; si tantum
mediatè Christus Sacramenta instituisset, idem dici potest de Sacra-
mentis, & de aliis omnibus ceremoniis Ecclesiasticis. Sunt verba
Bellarmini lib. I. de Sacram. in gen. cap. XXIII. Eadem etiam est
sententia Pesantii in III. p. q. LXIV. art. II. disp. II. qui & ista
subjicit: *Quamvis autem Concilium in sua definitione expresse non
memi-*

memi-

meminerit immediata institutionis à solo Deo, nihil tamen aliud vide-
tur intendisse, imò verba ipsa immediatam institutionem intendunt,
absolutè enim dici non potest à Christo institutum, quod Ecclesia imme-
diatè instituit, acceptà à Christo potestate, omne enim huiusmodi dici-
tur esse de jure humano, non divino. Hæc Pefantius, quæ cum
ipso repetit ac denuò inculcat Franc. Amicus T. VII. cursus
Theol. Disp. VIII. additâ ratione, quod cum Sacramenta sint
prima Ecclesiæ fundamenta, ab illo debuerint institui, qui est
Ecclesiæ caput, nempe à solo Christo, reliquis ministris tantùm
existentibus. Cui aliam non minoris momenti ex Scoto suo
Rada addit part. IV. Controv. inter Thomam & Scotum Con-
trov. II. art. I. *Quia nulli potest competere institutio signi practici
& efficaci, nisi vel respectu proprii actus, qui est in ejus potestate & vo-
luntate, quâ determinat se ad causandum effectum, quem in sua ha-
beat potestate, vel saltem respectu alicujus, qui subest sibi, quantum
ad istum actum.* Hæc verba Scoti, quorum sensus hic est,
quod nemo signum practicum seu actionem sacramentalem in-
stituere queat, nisi qui effectum per illud significatum exhibere
possit, atq; hac in re nemini subesse, quia sit actus ipsi proprius,
respectu cuius nulli subest.

IX. Sed reperiuntur tamen alii quoq; tum veteres tum
recentiores, prioribus illis eruditione & existimatione apud
suos haud inferiores, qui & olim ab Ecclesiâ Sacramenta quæ-
dam instituta esse, & hodie quoq; adhuc institui, atq; abrogata
in usum Ecclesiæ revocari posse contendunt. *Posse ritum cir-
cumcisionis inter Christianos observari, si major pars orbis consentiret.*
Nicolaus Cusanus Cardinalis censet, in lib. de Conc. Cath.
apud Lorin. in cap. XVI. Act. v. 3. Et alter Cardinalis Cajetanus
in III. q. XXXVII. art. I. in eam sententiam inclinat, *Non malè
facturum, imò potius benè, illum qui utetur circumcissione, non tan-
quam legali ceremonia, seu remedio peccati originalis, sed propter
conformitatem ad Christum: rem enim illam indifferentem reddi bo-
nam ex fine bono.* Ita ergo bono fine Sacramenta V. T. jamdu-
dum abiogata, imò sacrificia totusq; adeò Judaismus revocari
poterit. Et tamen sunt, quibus commentum placet. Unde &
Concilium Tridentinum aliter, ac cæteri faciunt, interpretan-
tur,

tur, sententiam scilicet de institutione omnium Sacramentorum per Christum immediatè facta non esse definitam, adeoq; fide Catholicâ non tenendam, nec contrariam de mediata institutione per Ecclesiam factâ vel futurâ esse hæresin ab eodem Concilio damnatam. Ita enim Rada concl. v. *Adverte, inquit, Concilium prætermisisse particulam illam immediatè & per seipsum, ob idq; non asserit prædictam conclusionem esse absolutè de fide.* Idem etiam Suarez. disp. XII. sect. I. aliiq; statuunt.

X. Verum frustrâ de mente Concilii aut potestate Ecclesiæ à DEO tradita disputant, qui non tantum in ipso Concilio definiverunt *Ecclesiam habere potestatem mutandi & instituendi Sacramenta*, Sess. XXI. cap. II. sed etiam jamdudum facultatem novos fidei articulos cudendi, Sacramenta à Christo instituta abrogandi & alia in eorum locum substituendi facto ipso sibi arrogarunt, subtractâ laicis, quos vocant, per summum nefas ac sacrilegium alterâ parte integrali Eucharistiæ seu calice benedicto, idq; contra Christi institutionem & Ecclesiæ primitivæ perpetuam praxin, quâ *non obstante* Conciliabulum Constantiense Sess. XIII. Anno Christi M CCCC XV. d. XV. Junii, & hoc non ita diu post secutum Basileense & seculo integro Tridentinum sub anathemate sanxerunt, non nisi sub una specie hoc venerabile Sacramentum laicis distribuendum & sumendum esse. Cùm verò calix benedictus non minus ac panis consecratus ad essentiam ac integritatem hujus Sacramenti pertineat, sanè qui unam partem tollit, is eadem ratione totam rei naturam atq; essentiam destruere censendus est.

XI. Cùm porro quærunt, *Annon Deus possit alicui homini vel Angelo communicare facultatem instituendi Sacramenta?* respondent Rada, Becanus, Pesantius aliiq;, *non posse eum auctoritatis potestatem cuiquam conferre, sicut nec divinam essentiam, sed excellentia potestatem ministris posse communicare, dando scilicet tantam gratie plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, & ut ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio.* Atq; hanc sententiam Bonaventura communem appellat, Franciscus

B

Amicus

Amicus probabiliorem. Ut autem de merito humano, sancti-
ficatione Sacramentorum ad invocationem hominum, effectu
item Sacramentorum sine peculiari ritu divinitus instituto, so-
lo imperio à creaturis collato vel conferendo nihil dicam, id
primò verum est, potestatem auctoritatis, quam alii primariam
& principalem vocant, creaturæ simplici communicari non
posse: hæc enim nihil aliud est, quàm ipsa essentia divina, quæ
nec ab alio dependet, nec ulli subordinatur, sicut nec DEUS
ipse. Communicare igitur eam facultatem homini extra DEUM
existenti, aut angelo, esset creaturam DEUM facere, quæ nec à
DEO dependeret, nec causæ primæ subordinaretur. Adde,
quod potestas illa sit vis quædam non tantum eligendi ac deter-
minandi certum signum, sed etiam pro arbitrio gratiam justi-
ficantem per signum significatam aliis conferendi, idq; per so-
lum internum actum voluntatis, sive per signum aliquod sensi-
bile, quo adhibito, semper & infallibiliter datur gratia, nisi in-
dispositio suscipientis impediat. Talis verò potestas seu aucto-
ritas iterum solius DEI est, quæ creaturæ communicari non
potest: secus enim hæc aut ipsa inâ auctoritate gratiam justi-
ficantem conferre, aut DEUM ad conferendam eandem deter-
minare, & quodammodo adigere posset. Deniq; instituire
Sacramentum est primò illud statuere atq; ordinare. Ut maxi-
mè igitur hæc facultas creaturæ communicaretur, illa tamen à
DEO communicaretur, qui primò per talem potestatem crea-
turæ communicatam Sacramentum institueret & ordinaret,
adeoq; non creatura, sed DEUS diceretur Sacramenti primarius
auctor & institutor.

XII. Potestatem verò secundariam & delegatam com-
municari posse & humanæ Christi naturæ communicatam esse
omnes concedunt. Per eam autem non intelligunt potentiam
quandam divinam à nullo superiori dependentem: hanc enim,
sicut potentiam creandi quippiam ex nihilo, creaturis extra
DEUM existentibus communicari non posse ipsi illi contem-
dunt, sed potentiam quandam inferiorem, quæ nec merè divi-
na sit, nec etiam humana, sed media, unde & potestatem ex-
cellentiæ appellare consueverunt. Definiunt autem per *potesta-*

tem

tem determinandi certas ceremonias externas, qua haberent vim
justificandi ex opere operato per merita Christi. Potuit enim Christus
pro suo arbitrio constituere, ut haec potius ceremonia adhiberetur,
quam illa, ad hominem justificandum, quod Apostolis concessum non
fuit, ut loquitur Becanus cap. v. q. i. Hoc pacto igitur crea-
tura Sacramentum instituit, quia externa Symbola aquae, panis
& vini, quibus Sacramenta hodie peraguntur, determinare
potest, & hanc facultatem determinandi signum Deus creaturae
communicat. Sed rectè ex Scoto suo respondet Rada, imposi-
tionem signi non esse institutionem Sacramenti. Et ratio est, quia
tunc voluntas creata determinaret signum, non tamen daret illi virtu-
tem & certitudinem significationis, sed hanc haberet ex voluntate di-
vina, determinante se ad causandam gratiam illo signo adhibito. Nec
enim ad naturam Sacramenti solum signum externum sufficit,
neq; ille auctor ejus propriè dicendus est, qui sive potestate
sibi propriâ, sive aliunde communicata illud excogitat & or-
dinat, supremam verò beatitudinem & alia bona supernatura-
lia per signum significata & oblata in sua potestate non habet,
ut aliis per media illa externa exhibere & elargiri queat.
Sacramenta enim non nudis Symbolis externis constant, sed
sunt talia signa, quibus significatum seu virtus illa supernatura-
lis causatur & efficitur, ideoq; institutio ejus non solum deter-
minationem signi requirit, sed simul efficaciam, quâ illud ad
efficiendam gratiam concurrat. Nulla autem virtus potest com-
municari creaturae intellectuâli, quâ activè attingat gratiam, eamq;
in sua habeat potestate, quocirca nec instituendi Sacramenta ei aucto-
ritas committi potest, ait rursus Arragonius, uti supra, qui & ista
subjicit: Nam is, qui Sacramentorum est futurus institutor, non
solum indiget potentiâ ad signum instituendum, sed ad causandam
signi certitudinem, quam habere non potest creatura, quia effectum per
Sacramentum significatum non habet in sua vi productiva, etiam ut
causa secundaria & dependens à prima. Præterea id quoq; fal-
sum est ullam Ecclesiam, ullumve mortalium, nisi solum DEUM,
solennem quendam hominibusq; utilem & necessarium ritum
& ei convenientem materiam, per quam significatum confera-
tur, instituere posse. Soli enim DEO, ut fructus Sacramenti,

Ita elementum externum, per quod ille exhibetur & fidelibus applicatur, acceptum ferendum est. Absq; quo si fuisset, nemini quicquam sive de tota actione, sive aliqua ejus parte, magnâ aut parvâ, in mentem venisset. Et sanè quæcunq; creatura signum Sacramento proprium, & ut loqvuntur, gratiæ causativum instituere potest, illa eodem modo DEUM & ad producendum effectum sibi proportionatum determinare, & in ordinem causarum secundarum redigere quibit. Causa enim secunda est, quæ in agendo à superiori dependet, & effectum quidem, sed dependenter producit: DEUS autem neq; cuiquam creaturæ subest, nec in agendo ab alio dependet, sed semetipsum ad gratiam & salutem efficiendam determinat. Unde & signi institutio & signati effectio soli ipsi tribuenda. Quare ingenti & intolerabili insolentia ac *ὑπερφανεία* DEI partes sibi arrogant, & vel super DEUM ipsum sese efferunt, qui ea, quæ Deus, penes quem solum salutis & damnationis arbitrium est, semel instituit pro lubitu tollendi aut mutandi, novaq; alia in eorum locum surrogandi jus sibi vendicant, humanæ verò Christi naturæ, ut in consortium Trinitatis assumptæ vix similem potestatem communicari posse concedunt.

XIII. Cæterùm, quæ illi de humana Christi natura asserunt, pleraq; Zvinglius etiam, & qui eum hac in parte sequuntur, sua faciunt, dum illi nullam aliam, nisi mediam quandam potestatem ac dominium, angelico quidem majus, sed divino minus & inferius tribuunt, quemadmodum etiam alias omnes divinas proprietates & *ἐξουχίας* eidem derogant. Unde ultrò sequitur, eum, qui divinam & infinitam potestatem mentes hominum cum DEO uniendi, regenerandi, sanctificandi, justificandi, obfignandi & æternâ felicitate beandi non habet, nec potestate instituendi Sacramenta pollere. *Manifestarium*, inquit Zvinglius ad Lutherum, *ἔστιν novum errorem designas, cum dicis, secundum humanam naturam Christum esse Dominum omnium rerum. Quis, queso, Theologorum simile quid unquam docuit? Quomodo erit minor patre, quemadmodum ipse ait, ἔστιν Athanasius confitetur, si juxta humanitatem equè est Dominus rerum omnium atq; juxta divinitatem? De judicii die loquens Matth. 24. ἔστιν Marc.*

Marc. 13. sic disertè loquitur: De die autem illa & horâ nemo scit, neq; angeli in cœlo, neq; filius, nisi solus pater. Vides, mi Luthere, ut posteriores habeat humanitas. Quod si & ista esset rerum omnium domina, quâ fieret, ut diceretur dies illa omni carni non solum citra ejus imperium, sed etiam citra ejus scientiam? Ne queso in tam manifestos lapsus nos ipsos precipitemus, ne & Sabellio subscribamus, ac ex ejus errore nato Marcioni. Hactenus Zvinglius in Exeg. Eucharist. T. II. cum quo reliqui ejus sectæ asseclæ faciunt. Verum enimverò non humanam aut mediam quandam sed prorsus divinam & supremam potestatem humanæ Christi naturæ esse communicatam, inde patet, quod Matth. xxviii. 18. dicatur omnis potestas in cœlo & in terrâ, quæ est summa omnium, & à quâ potentia humana omnis, tanquam ex supremo fonte, promanavit. Hæc illa potestas est, quâ Apostolos ad Evangelium omni creaturæ prædicandum cum multis signis & prodigiis emisit, præcipiens, ut docerent & baptisarent gentes omnes in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hæc illa est, per quam non tantum totum orbem ad fidem in nomen suum convertit, sed etiam Ecclesiam suam per verbum & Sacramenta fundavit, eamq; ab Apostolis plantatam adhuc regit atq; conservat, & usq; ad extremum diem præstò est, ut portæ inferorum prævalere adversus eam non possint. Ad illam autem ablegationem & ista tum præcipienda tum promittenda & præstanda non humana tantum auctoritas, sed divina majestas & potestas requirebatur, cum nec baptisari in nomen cujusquam nisi DEI possit, nec ex terris abiturus, hic in terris simul manere, nisi divinâ essentia ac gloria, deniq; nemo tot suis & Ecclesiæ hostibus resistere, eamq; potentissimè conservare, fidelibus tandem in vitam æternam, infidelibus verò & impiis in æternam damnationem missis, nisi potestate judicandi totum orbem, hominesq; salvandi ac damnandi præditus.

XIV. Et tantum de causâ Eucharistiæ ac reliquorum Sacramentorum efficiente principali; proximè huic videnda erit ejus materia, quæ ut duplex est, terrena & cœlestis, seu panis & vinum, corpus item ac sanguis Christi, ita utraq; etiam peculiariter considerabitur. Et ut de materia terrenâ prius agamus,

constat denuo ex verbis institutionis, Christum Dominum ac Salvatorem nostrum, cum primum Sacramentum hoc institueret, convivas omnes jusfisse panem manducare & genimen vitis bibere, idq; Apostolos & alios fideles tam Laicos, quam clericos, non tantum mox post Christi in caelos ascensionem, sed postea quoq; totis mille & amplius annis in solennibus publicisq; Ecclesiae graecae pariter ac latinae coetibus observasse, nec aliter Sacramentum hoc quam sub utroq; cibi potusq; symbolo sumpsisse, aut fideli populo administrasse, donec sequioribus seculis nonnulli e clero, in Ecclesiis praesertim occidentalibus, laicos petulanti auso, & magno quodam sacrilegio calice privarunt. Cujus rei causa praecipua fuisse existimatur, improba super alios eminendi libido. Cum enim facile deprehenderent, integritate morum, pietate ac eruditione se existimationem suam tueri non posse, id operam inprimis dederunt, ut peculiari sumendi sanguinem Dominicum privilegio supra conditionem caeterorum fidelium, quibus usus ejus interdictus esset, eveherentur. Accessit & altera, prava nempe opinio de transubstantiatione panis in corpus & vinum in sanguinem Christi, qua positam, metus exortus fuit, ne forte sanguis Domini e calice in terram profusus, aut barbibus longis laicorum aliisque modis indignè tractaretur. Has enim rationes omnes & plures alias Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in Concilio Constantiensi magno studio collegit, & tractatui *contra heresim de communicatione laicorum sub utraq; specie* inseruit, quae apud eum legantur. Quibus ibidem propositis & discussis tandem Concilium istud Sess. XIII. rationabiliter, ut ibidem loquitur, definivit, *quod licet Christus post coenam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritate laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiae servanda sit, ut scilicet conficientibus sub utraq; & a laicis tantum modo sub specie panis suscipiatur, cum firmissimè credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.* Sic igitur quod haecenus a primae Ecclesiae Christianae origine juxta Christi institutionem per actum

actum fuit, id per hujus Conventus definitionem, non obstante Christi mandato, aliter & contra ejus institutionem peragendum decernitur, idq; tantâ pertinacia, ut decreto illi firmando post dies viginti Johannes Hussus, & anno vertente Hieronymus Pragensis fuerit exustus.

xv. Certum autem est, mandato divino ab omnibus omninò fidelibus, quibus illud datum est, obedientiam deberi, nec licere id ullo unquam tempore aut casu violare, vel exercitium ejus ad aliquot annos suspendere. Cùm enim Deus vitæ necisq; arbitrium in eos habeat, ut præcipere aut vetare possit, quod lubet, (nihil autem nisi sanctum & justum præcipit) sanè qui ejus mandatis obsequium præstat, rectè atq; ordine facit, quemadmodum qui omittit, quod ille fieri vult, aut aliter facit, quàm ab eo mandatum est, gravissimè peccat, & damnationis æternæ reatum incurrit. Quare inter Christianos audiendus vel tolerandus non fuerit, si quis cum paterculis Constantiensibus id, quod Christus instituit, & ut omnes facerent præcepit, quodq; Ecclesia hætenus integris decem seculis perpetuò observavit, prohibeat & proscribat, additâ flagitiosâ clausulâ, *non obstante* Christi mandato, hoc est, quanquam Christus in prima cœnæ institutione Eucharistiam sub utraq; specie ministraverit, & ut fideles omnes seculis post-futuris idem facerent, seriò præceperit, id tamen neutiquam faciendum, sed Ecclesiam potius, quæ non minus quàm ipse Christus potestatem Sacramenta aut instituendi aut destituendi habeat, & contrarium hætenus laudabiliter observaverit, audiendam & sequendam esse. Quod si verò quis Christi potius institutionem, quàm Ecclesiæ seu Pontificis Romani consuetudinem sequi malit, eum anathemate & diris suppliciis, imò æterno dignum esse. Quod annon sit Pontificem supra Christum evehere, actionem sanctissimam & saluberrimam in impiam, perniciosam & noxiam vertere, jussu deniq; ac præcepta divina pedibus calcare, judicent quibus sanum est sinciput. Nos verò, quibus DEI ac Christi auctoritas potior est, nolimus hujusmodi *negata* & portentosas opiniones spargere aut approbare, nolimus sacrosancta DEI oracula vilis homuncionis placitis subjici, sed quicquid dicant

dicant statuantve nuperæ quædam & particulares Synodi, quicquid damnent ac fulminent Pontifices, non desinamus profiteri ac credere: Quicquid DEUS præcipit, id, uti præcipit, à nobis fieri atq; in rem verti oportere.

XVI. Mandatum verò DEI & voluntas ex institutione manifesta est. Instituit enim seu voluit & ordinavit DEUS, ut fideles omnes, qui semetipsos probare & mortem Domini annunciare, ejusq; corpus ab aliis vulgaribus cibis discernere possunt, non tantum panem benedictum edant, sed etiam è calice Eucharistico bibant. Sive autem institutio sumatur pro ordinatione alicujus facti vel rei ab hominibus peragenda, quemadmodum DEUS matrimonium, ordinem Ecclesiasticum, prædicationem Evangelii, officium baptizandi & plura alia instituit; sive pro sermone, quem Christus de pane & vino sumendo ad discipulos paulò ante mortem habuit, utroq; modo mandatum continet, & eos, quibus datum est, ad faciendum obligat. Quamquam enim institutio priori modo sumpta, ut institutio est, promiscuè & indiscretè omnes mortales non obliget, secus omnibus matrimonium contrahendum, ministerium sacrum obeundum, ac verbum DEI prædicandum fuerit, attamen cum ad personas applicatur, tunc eadem prorsus est cum mandato, ut si dicas, instituisse DEUM, ut adulti & qui se continere non possunt, matrimonium ineant, aut legitimè ad functionem Ecclesiasticam vocantur & facultate docendi ac Sacramenta administrandi pollent, Evangelium doceant & Sacramenta administrent, quid aliud dicitur, quàm DEUM mandasse, ut hoc faciant? Unde rectè inferre licebit: Quodcumq; Christus instituit, ut fideles omnes, qui se probare possunt, faciant, ad id faciendum quoq; eos mandato suo obstrinxit. Atqui instituit, ut fideles omnes, qui se probare possunt, corpus, quod pro iis in mortem traditum est, comedant, & sanguinem bibant. Ergò ad id faciendum eos mandato suo obstrinxit.

XVII. Si posteriori modo capiatur, pro sermone scilicet à Christo instituto & ad Apostolos habito, adhuc clariùs mandatum elucescit. Nam in illo voluntatem suam, velut legis-

lator

lator aliquis seu potius testator hominibus exponit, & quid ab illis fieri vel non fieri velit, significat. Quemadmodum igitur testator verbis suis hæredes ad id obligat, quod in testamento præscripsit, nec ut partem tantum dispositionis testamentariæ, sed totum servant, si hæreditatem adire velint, exigit, ita quoque Dominus noster Jesus Christus jamjam moriturus quid à discipulis eorumque successoribus fieri velit, illis verbis significavit, & tum actionem edendi ac bibendi enixè præcepit, tum materiam certam, & qui homines ac quomodo seu quibus actibus circa eam veritari debeant, determinavit. Et quidem panis & vini mentionem simul facit, & hoc quidem bibendum, illum verò manducandum esse dicit, unde colligitur, utramque partem æquè necessariam esse & ad substantiam seu intrinsecam rationem Sacramenti pertinere. Quod si enim una pars necessaria est & de substantia, ratio reddi non potest, quare altera non æquè necessaria sit & de substantia Sacramenti, aut si una pars libera, quæ vel omitti possit, vel ab hominibus prohiberi, cur non & altera? Quare ita argumentamur: Quàm necessarium est sumere panem eucharisticum, tam necessarium quoque est bibere è calice benedicto, aut verò ostendendum unius quàm alterius majorem esse necessitatem, & pane quidem necessariò utendum, vinum verò licere vel accipere vel rejicere, vel bibere vel non bibere. Rursus, si dicere velint, edere panem esse quidem necessarium, è calice verò bibere arbitrarium, sic inferre licebit: Quàm liberum est bibere è calice benedicto, tam liberum quoque est edere de pane. At juxta Pontificios omnibus non conficientibus, ut loquuntur, liberum, imò jam post Concilium Constantiense noxium & perniciosum est bibere è calice. Par igitur ratio fuerit de pane consecrato.

XVIII. De personis seu subjectis non minus certum est, obligari ex voluntate instituentis ad bibendum omnes, qui de pane eucharistico manducarunt. Idem enim Christus, eodem in loco ac tempore eademque cœnâ & ad eosdem sacrosancti hujus epuli convivas dixit: edite & bibite. Hinc denuo fit argumentum: Quibus in eadem actione sacramentali, eodemque loco ac tempore & ab eodem hospite dictum est *edite*, iis-

C

dem

dem quoq; dictum est *bibite*. Atqui non solis Apostolis aut sacerdotibus, sed fidelibus omnibus, qui se probare possunt, dictum est *edite*. Ergò iisdem quoq; dictum est *bibite*. Contra minorem excipit Bellarm. lib. iv. de Euchar. cap. xxv. verba illa, *bibite ex hoc omnes*, dici solis Apostolis, utpote Domini in eâ cœnâ convivis, quiq; soli tùm adfuerunt & soli quoq; biberunt. Verumenimverò si argumentum hoc ullius asis est, eodem modo contra panem argumentari licebit: nam & *edite* ad solos Apostolos tùm præsentis & convivas dictum est, quare iidem itidem soli de pane benedicto edere, successores verò eorum & fideles omnes abstinere debent. Præterea & hoc statuunt Pontificii, solos sacerdotes sacra conficientes vi institutionis & præcepti Christi ad sumptionem vini admittendos esse, reliquos autem, etiam sacerdotes, laicorum loco hac quidem in parte haberi. Atqui Apostoli cum è calice benedicto biberent, non erant conficientes, unde sequitur laicos & non conficientes Apostolorum exemplo è calice bibere posse & vi præcepti debere. Sed breviter; Negamus verba illa, *bibite ex hoc omnes*, ad solos Apostolos tùm dicta, de iisdem solis intelligenda esse. Nam dicta sunt Apostolis, vel ut erant Apostoli, vel ut ministri Ecclesiæ, vel deniq; ut Christiani fideles. Non autem dicta sunt ut Apostolis, alioquin soli Apostoli, immediate à Christo vocati, exclusis omnibus alterius gradus ac ordinis, ad calicem benedictum admittendi. Nec ut sacerdotibus, aliàs sicut iis solis porrigendus calix, ita quoq; panis itidem solis distribuendus, laicis verò adimendus fuerit, quod utrumq; absurdum. Restat igitur verba illa dicta esse Apostolis ut fidelibus, & quatenus fideles omnes post-futuris seculis accessuros repræsentabant. Unde nunc promptum est argumentari: Quod Apostolis ut fidelibus dictum est, id omnibus fidelibus dictum est. Nam à *quatenus* ad *de omni* firma est consequentia. At Apostolis, ut fidelibus dictum est *edite & bibite*. Ergò omnibus fidelibus dictum est *edite & bibite*.

XIX. Accedit etiam peculiare præceptum, verbis imperativis *edite, bibite, hoc facite*, expressum. Quæ nisi ut imperantia capiantur, nullum præceptum divinum sive de pane sumendo

mendo

mendo, five totâ cenâ Dominicâ usurpanda ostendi poterit. Sicut igitur *edite* vim habet præcepti & obligat ad edendum eos, quibus cenâ instituta est, ita & *bibite* virtute præcipiendi pollet, & ad bibendum obligat: & rursus si *bibite* virtute præcipiendi & obligandi exuitur, nec *edite* vim præcipiendi obtinebit, nisi fortè absurdè & ridiculè dixerit quispiam, *edite* quidem verbum præcepti esse, non autem *bibite*: item *facite*, quando *edite* subjicitur, præcipere quidem, sed mox quando *edite* *bibite* subjungitur, non item.

xx. Atq; sic de præcepto Domini, quod calicem attinet, satis constat. Exemplum quoq; Christi, discipulis suis utramque speciem distribuentis, & horum rursus in Ecclesiâ conventibus idem sacrum eodem modo celebrantium, manifestum est. Audiamus etiam rationem, non minus firmiter, atq; superiora argumenta, idem illud, præcipuè verò totam Sacramenti naturam & essentiam tolli, demonstrantem. Equidem partes essentielles, seu quid ad essentiam & integritatem alicujus rei pertineat, determinare nemo potest, nisi qui ejus auctor est, imprimis in iis actionibus & ceremoniis, quarum tota essentia à solo arbitrio instituentis dependet, nec licet vel tollere quicquam vel mutare ex iis, vel deniq; aliud substituere, nisi substantiam arietare velimus, sed simpliciter oportet exequi ea, quæ à superiori præscripta sunt, quod Mosi quoq; ceremonias Veteris instrumenti promulganti dictum est, *Vide, ut facias omnia secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte*, idque Hebr. VIII. 5. 10. ad novum testamentum applicatur. Unde quid ad hujus Sacramenti substantiam pertineat itidem ex institutione Christi discendum est. Huic enim totum esse suum debet. In institutione verò quædam actiones præscribuntur, è quibus præcipuæ sunt benedictio panis & vini, benedictorumq; elementorum exhibitio & sumptio, quas omnes de substantia Sacramenti esse tum per se constat, tum inde quoq; patet, quod per verba imperantia, *edite, bibite*, & subjunctum aliud *facite*, convivis omnibus inculcentur, & ut accuratè observentur, præcipitur. Et sanè quid erit de substantia Sacramenti, si hoc non est? Quod si verò actiones illæ, quæ circa

materiam certam versari debent, tanquam forma essentialis de substantia Sacramenti sunt, non minus materia, circa quam actiones sacramentales versantur, de substantiâ Sacramenti erit. In institutione igitur non minus manducatio panis, quam bibitio vini commendatur, & si unum est necessarium & de integritate Sacramenti, alterum quoq; æquè necessarium erit & ad Sacramenti essentiam pertinebit, sine quo integritas & essentia seu ratio Sacramenti intrinseca & propria non manet salva. Subtracto ergò calice laicis, neq; perfectum amplius neq; integrum, sed mutilum & imperfectum iisdem præbetur, nec tantum imperfectum, sed reverâ Sacramentum nullum. Nam cum de Sacramento loquimur, essentia & integritas coincidunt, & partes integrantes sunt partes substantiales. Si quis igitur vinum benedictum è Sacramento tollit, is eo ipso partem integram, & quod perinde esse diximus, essentialem tollit, atq; ideò Sacramentum ipsum arietat & evertit. Et tantum de materia terrena duplici, pane & vino. Nunc de cœlesti etiam videamus.

x x i. De hac autem dubitare nos non sinit optimus Salvator, qui in verbis institutionis de pane benedictio dicit: *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Et de calice: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Unde evidenter colligitur, quòd, qui panem benedictum comederit, ipsius corporis Christi particeps fiat, & qui poculum benedictum biberit, ipsius sanguinis dominici communionem fruatur. Quâ ratione verò id fiat, non omnium eadem mens atq; sententia est. Et quidem Christum corpore ac sanguine suo in Cœna præsentem esse Calviniani æquè ac Pontificii verbis nobiscum utcunq; fatentur, de modo autem inter se decertant, dum hi Christum quidem præsentem esse in Cœna, sed crasso & Capernaitico præsentia modo, credunt, ut in manus infidelium Judæorum & Turcarum tradi, in ventres asinorum, canum & murum ingeri, per vomitum & secessum ejici, in ignem, sterquilinia & latrinas demitti, deniq; incantationibus & sortilegiis adhiberi possit: illi contra nil nisi putamina & umbram

umbram

umbram quandam de tanto tamq; inæstimabili thesauro relin-
quunt, nucleum verò & rem per externa symbola significatam
& repræsentatam repudiant ac tollunt: Nobis autem, qui cum
pane corpus, cum vino sanguinem Christi sacramentaliter uni-
ri, & unà cum his symbolis ore corporis edi ac bibi credimus,
impanationem quandam & creophagiam Capernaiticam im-
properant, quemadmodum gentiles olim inter alia crimina,
quæ genti nostræ imponebant, etiam Thyestæa convivia obji-
ciebant, quòd sibi persuasum haberent, Christianos, dum Eu-
charistiam noctu celebrabant, infantem farre contactum edere,
ejusq; sanguinem lambere, ut ex Apologiis Justini Martyris,
Athenagoræ, Tatiani & Minutii Felicis, quibus se à convitiis
Ethnicorum purgarunt, constat.

XII. Et Pontificii quidem Christum in cœna præsen-
tem fieri per conversionem totius substantiæ panis & vini in
substantiam corporis & sanguinis ejus credunt, atq; exinde in-
clusionem & asservationem hostiæ, circumgestationem ejus-
dem, deniq; & adorationem, & plurimas supersticiosas ac fu-
tiles quæstiones excogitarunt, quas omnes nunc chartis illine-
re nec libet nec licet, quin nec magnæ adeò id operæ pretium
fuerit, potiùs est præcipuum dogma transubstantiationis, ut in
re barbara simili quoq; vocabulo utuntur, examinare. Ex in-
stitutione autem divinâ, & explicatione Apostolica facilè in-
telligitur, panem benedictum non transubstantiari, sed esse
symbolum, per quod communicetur corpus Domini, vinum
item, cum quo exhibeatur sanguis ejusdem. Cùm enim Christus
Dominus Sacramentum hoc institueret, accepto pane vulgari,
ex cœnâ reliquo, eidem benedixit, atq; sic per benedictionem
à communi usu segregavit & sacro destinavit; nullo autem
verbo vel apice indicat, panis substantiam aboleri aut in sub-
stantiam corporis Christi converti, sed manet panis, etiam
post consecrationem, nec est aut fit ipsum Domini corpus. Sed
quando porrecto pane consecrato, discipulis dicebat: *Acci-
pite, edite, hoc est corpus meum*, duas res seu substantias intellige-
bat, unam quidem panem, quem verbis denuò indicari, nihil
attinebat, id enim ad sensum & oculos patebat; sed unà dari

corpus illis indicat, dum ait: *Hoc est corpus meum*. Iterum cum calice exhibito diceret: *Bibite, hic est sanguis meus novi testamenti*, & ibi vinum adesse, satis constabat, addit autem, eum simul esse sanguinem, hoc est, supernaturali, spirituali, sed nobis incomprehensibili modo cum sanguine uniri, ita ut quando bibitur vinum, unà bibatur sanguis Domini, sicut quando editur panis benedictus, unà comeditur corpus ejusdem. Hæc enim est natura propositionum exhibitivarum, ut cum duo exhibentur, quorum unum cum alio cohæret, vel ab illo continetur, vel cum, aut per illud communicatur, alterum subtrahatur, & alterum tantum sensibus minùs obvium & aliàs incognitum exprimitur, ut si exhibito sacculo pleno auro dicam, hoc est aurum, aut cantharo cum cerevisia, hoc est cerevisia, aurum & cerevisia tantum exprimuntur, sine substantiæ tamen alterutrius immutatione. Eodem modo cum Christus ait, *Hoc est corpus meum*, illud, *Hoc*, pro duabus rebus, pane & corpore supponitur, at corpus Christi, de quo nemini aliundè constare poterat, exprimitur, sed sine substantiali conversione aut mutatione unius substantiæ in alteram.

XXIII. Atq; ita ex verbis institutionis nostra sententia probatur. Illa autem adhuc magis stabilietur, si Apostolum, infallibilem ejus interpretem, quiq; ab ipso hujus mysterii conditore acceptam traditionem nobis reliquit, audiamus. Ille verò panem & poculum benedictum etiam post consecrationem & in ipso Eucharistiæ usu, panem & vinum appellat. *Calix benedictionis, ait, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. x. 16. Item 1. Cor. xi. 26. & seqq. aliquoties poculum benedictum, cum bibitur, & panem, cum frangitur & editur, panem & poculum adhuc appellat. Manet itaque panis & vinum, etiam post factam consecrationem, cum jam fidelibus distribuuntur & ab iis percipiuntur, nec in substantiam corporis & sanguinis Christi essentialiter mutantur. Prætereà non prædicat de pane simpliciter, quòd sit corpus Christi, sed quòd sit *κοινωνία* corporis Christi, atq; adeò mutato subjecto mutat quoq; prædicatum. Cùm enim Christus dicit,

dicit, *Hoc est corpus meum*, Paulus contra asserit, *Panis, quem frangimus non carnis corporis Christi est*, hoc est, tale medium, cum quo sacramentaliter uniatum corpus Christi, & cujus interventu nobis quoque communicetur. Communio verò omnis ad minimum inter duo, quorum utrumque existat, intercedere debet. Quod si igitur per benedictionem sive consecrationem vulgaris panis vertitur in panem, qui sit *carnis corporis Christi*, seu qui cum corpore Christi uniatum, utique adhuc superesse & manere necesse est, nihil enim secum ipso uniri potest.

XXIV. Sed lubet etiam aliquot argumenta contra transubstantiationem afferre. Equidem in transubstantiatione vel manet substantia panis, vel non manet. Si planè non manet, tùm non est transubstantiatio, seu substantialis mutatio unius in alterum, sed potius annihilatio, ubi destructo & annihilato uni succedit alterum. In conversione enim tam naturali, quam supernaturali commune aliquod subiectum requiritur, in quo terminus à quo & ad quem concurrant, nec alteruter secundum se totum esse desinat, sicut ex inductione facile patet. Quod si ergò talis conversio hic locum habet, de utroque aliquid relinquere debet. *Quod enim convertitur, manet aliquo modo in eo, in quod convertitur*, ut rectè Durandus loquitur. At nihil de pane relinquitur, cum eius substantia in corporis Christi substantiam convertitur. Deinde nulla conversio fieri potest in id, quod jam præexistit, sed in ea producit id, quod antea non erat, sicut aqua matabatur in vinum, Joh. II. At juxta Pontificios credere jubemur, substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi converti, quæ antea aderat, non denudò producit. Tertio, si in transubstantiatione substantia panis & vini annihilatur, tùm vel remanent accidentia, vel simul mutantur, si illud, habebimus accidentia per se & sine subiecto existentia, accidentia, quæ sint substantiæ, imò accidentia non accidentia, cum juxta doctrinam omnium Philosophorum tam Ethnicorum, quam Christianorum, accidentis esse sit, ut inhæreat, est enim ens per aliud, lib. IV. Metaph. Adde, quod accidentibus panis & vini actus substantialis, qualis est nutritio, non sine miraculo tribuatur: miracula autem

sine

sine necessitate nec fingenda, nec admittenda sunt. Denique principem sensuum, visum omnibus circumstantiis benè constitutis falli oportet, cum in missæ celebratione verum panem & verum vinum, etiam post consecrationem intuetur, quæ tamen juxta ipsos esse desierunt, & in corpus ac sanguinem Christi abierunt. Unde quanquam aliàs ex accidentium cognitione ad ipsas substantias cognoscendas deducamur, nunc tamen aliter se res habebit. Sin posterius admittatur, tùm accidens in substantiam mutabitur, quæ omnia, quàm absurda sint, imprimis verò, cujus causâ hæc adducta sunt, substantiam panis & vini post consecrationem non manere, haud obscure patet.

xxv. Quod si verò in Eucharistiâ manet substantia panis, tùm nec transubstantiatio locum habet, nec quicquam relinquatur aliud, quàm ut panis cum corpore Christi, & vinum cum sanguine ejusdem per unionem aliquam conjungatur, quam sacramentalem appellamus. Quâ ratione rectè dicitur, panis immutatus, hoc est, qui ante vulgaris erat, nunc sacer & sacramentalis factus, est corpus Christi, seu potius *κοινωνία* ejusdem, unde in, cum & sub pane manducantibus ac bibentibus exhibetur.

xxvi. Non minus autem dogma hoc ipsis Pontificiorum hypothesebus repugnat. Dum enim virtute verborum Domini: *Hoc est corpus meum*, & per elementorum consecrationem panem in corpus Christi & vinum in sanguinem transubstantiari contendunt, ut panis in corpus Christi conversus secundum substantiam suam esse desinat, eo ipso eertè totam naturam & essentiam Sacramenti evertunt, dum solum corpus & sanguinem Christi sine pane & vino superesse credunt. Ubi enim panis & vinum, utpote res terrena & altera pars essentialis non est, ibi nulla planè est Eucharistia, cùm non tantùm Irenæus Eucharistiam duabus rebus, terrenâ & cœlesti, constare dicat, sed & Christus ipse in primâ cœnâ institutione & distributione convivæ jusserit panem & vinum sumere. Cùm ergò panis non manducatur, nec præcepto Christi satisfacit, nec utraq; pars materialis, terrena & cœlestis, nec integrum Sacramentum, sed mutilum & imperfectum, imò nullum prorsus fuerit.

xxvii. Est

xxvii. Est & alia hypothesis pontificiorum, panem scilicet, non vinum in corpus, & vinum tantum, non panem in sanguinem Christi transubstantiari, quod equidem si verum est, tum sequitur, laicos, quibus una tantum species distribuitur, solius etiam corporis, non sanguinis Christi fieri participes. Quantum enim apud illos transubstantiatur, tantum etiam, non plus, in sacramento accipitur. Cum igitur laici non nisi per concomitantiam cum corpore transubstantiato sanguinem sumere jubentur, nec totum Sacramentum, nec partem alteram, hoc est, sanguinem accipiunt, quia sanguis non est transubstantiatus, nec per symbolum externum à Christo ad id ordinatum & à sacrificulo transubstantiatum sumunt.

xxviii. Unum adhuc quærere lubet, quonam tempore illa elementorum conversio fiat? Vel enim fit ante prolata illa verba: *Hoc est corpus meum*, & tum non fit virtute verborum Domini; Vel post ea, & tum illa falsa sunt: neq; enim dicendum fuerit, *Hoc est corpus*, sed hoc demum postea futurum est corpus Christi. Si verò fit simul, jam sicut cum mora quadam verba illa pronunciantur, ita quoq; transubstantiatio fiet successive, non in instanti, quod ipsi illi transubstantiationis auctores non admittunt. His igitur & pluribus aliis difficultatibus dogma illud est impeditum, ut nihil veri, nihil sani in eo reperire liceat, sed potius plurium corruptelarum ac superstitionum fundamentum atq; origo meritò censerì possit. At nostra sententia super institutione Dominica tanquam solidissimâ petri & immoto fundamento extructa est, & ideò immota permanebit, ut portæ inferorum adversus eam prævalere non possint.

xxix. Verùm hæc omnia ludus jocusq; fortè alicui videri possint præ Calvinianis, qui studio Ecclesiæ pontificiæ contradicendi longiùs, ut fieri in talibus solet, provecti, non tantum crassum præsentia modum, quem illa circa Eucharistiam tenet, sed omnem omninò præsentiam rejiciunt, & solâ fide tum corpus & sanguinem Christi sumi, tum cœnam ipsam rectissimè celebrari contendunt. Qui quidem quicquid ejus rei tenent, id omne Berengario, Ecclesiæ Andegavensis in Gallia Archidiacono, seculo undecimo, imprimis debent. Nam

D

& huic

& huic dogma de transubstantiatione occasionem præbuit, ut ad alterum extremum prolaberetur. Cum enim negare debuisset, corpus Christi non adesse crasso modo, ut pro lubitu hominum condi & promi, pedibus calcari & à bestiis devorari possit, ille prorsus negavit ullo modo adesse, donec tandem à Nicolao II. Pontifice erroris convictus palinodiam cecinit, & quod antea periculosè docuit, ignominiosè recantavit. Quanquam quæ ejus fuerit sententia, certò non constet. Ex formula sanè palinodiæ, quam Pontifex & Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus & Cardinalis præscripserunt, haud obscure colligitur, eum sensualem tantùm præsentiam corporis Christi, ut manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri posset, negasse. *Anathematizo, inquit, omnem hæresin, præcipuè eam, de qua hætenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri.* Et iterum paulò post: *Ore & corde profiteor panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri.* Quod si autem Berengarius confiteri iussus est corpus Domini sensualiter manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri, ergò hoc tantùm, non aliud, antea negavit, scilicet corpus Christi sensualiter adesse. Quid enim opus fuisset ea recantare, quæ antea nec senserat nec docuerat? Haud paulò igitur melior & verior sententia Berengarii, quàm ipsorum pontificiorum hac in parte non nemini videri poterat.

xx. Quicquid autem sit de sententia Berengarii, hoc certum est, superiori seculo in Helvetia Zvinglium, Oecolampadium, Calvinum, Bezam, & hujus farinae plures alios, nihil nobis in Sacramento de corpore & sanguine Christi, nisi nuda symbola rerum absentium, relinquere, & cum verba Christi, *Hoc est corpus meum*, negare non possint, figuratè & improprie expo-

expo-

exponere, ut figuratum quoq; & improprium corpus, figura-
tum item & improprium sanguinem, vel signum tantum cor-
poris & sanguinis Christi in cœna esse evincant.

XXXI. Propriè autem, seu ut sonant & super ea mentis
humanæ conceptus naturaliter fertur, verba Domini intelli-
genda esse inde patet, *primò*, quod nulla ratio, causa nulla sit,
cur à τὸ ἰντὸ ad ἀνάλογια, à re ipsa ad figuras, à propria ad im-
propriam significationem decurramus. Retineatur igitur
tamdiu verborum proprietas, donec ut recedamus, evidens
aliqua necessitas coegerit. *Deinde* & ideò retinenda, quia
apud tres Evangelistas & Apostolum Paulum eodem modo le-
guntur. Quod si autem locutio impropria & obscura admit-
tenda, more scripturis sacris usitato ea, quæ hîc obscuriùs
dicta alibi clariùs erant exponenda. Mirum certò foret Chri-
stum aut Spiritum sanctum nullibi claro, perspicuo & proprio
sermone de tam sublimi mysterio usum, quod fieri ad evita-
das lites, errores, hæreses aliaq; incommoda alioqui consecu-
tara debebat. *Tum* natura sacramentorum N. T. tropum non
admittit: nam Sacramenta V. T. quale fuit agnus paschalis, in
cujus locum Eucharistia N. T. subiit, signa erant, quæ res futu-
ras repræsentabant, at Novi Testamenti, ubi corpus ipsum suc-
cescit, non signa tantum repræsentantia sunt, sed rem ipsam ex-
hibentia & communicantia. Quibus adde, quod tropum esse
oporteat, vel in subiecto enunciationis, vel prædicato ejusdem,
vel deniq; copula. Hæc autem, in quâ Zvinglius præcipuè tro-
pum constituit, & per *significat* exposuit, cum non sit pars ali-
qua principalis, sed tantum unio seu extremorum conjunctio,
ac præterea simplicissimæ significationis, tropum non admit-
tit. Quod ipsi ejus socii agnoverunt, unde tropum potius in
prædicato *corpus* quærunt, idq; per metonymiam signi pro re
signata, corpus pro symbolo corporis, poni contendunt. At-
qui tale corpus intelligitur, quod pro nobis passum, mortuum,
sepultum est & resurrexit, quale non est signum, sed verum &
naturale corpus. Sunt tandem, qui in subiecto seu vocolâ
Hoc præsidium sententiæ suæ quærant; nec nos negamus, sy-
nechdochicam esse locutionem, cum duæ res offeruntur, & una
D e sola

sola exprimitur, ut, si medicus febricitanti in poculo potionem exhibeat, diceret, accipe, hæc est potio, unum tantum, quod sensibus non obvium erat, exprimit: Eodem modo Salvator inquit, accipite, edite, hoc est corpus, nam panem exhiberi ipsi oculis suis conspiciebant, corpus autem invisibiliter sub pane exhiberi, nemo suspicari potuisset, nisi Christus dixisset. Sed notandum adversariis erat, tropum illum grammaticum esse, qui in vocibus, non rebus ipsis locum habet, unde quod apud omnes ferè gentes usitatum est, quando alter alteri loquitur, id huc aptari quoq; potest.

xxxii. Atq; his ita nunc constitutis, facilè quoq; patet, & firmâ fide teneri oportet, quod in Eucharistia corpus & sanguis Christi substantialiter sint præsentissima, adeoq; non fide tantum, sed ore quoq; corporis percipiantur. Id enim ex verbis institutionis sine tropo intellectis facilè evincitur. In illis jubentur Apostoli edere corpus & bibere sanguinem ex poculo. Edere autem & bibere quippiam secundum usitatum loquendi modum talem actionem notant, qua cibum & potum in os ingerimus. Unde liceat ita argumentari: Quod Christus in cœna edi & bibi verbis propriis & apertis dixit, id ore corporis edi ac bibi oportet. At de corpore & sanguine suo id fieri jusfit. Ergò. Idem ipse Salvator, cum exhibito pane discipulis dixit, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum*, & prorecto calice, *Bibite, hic est sanguis meus novi testamenti*, non distinguit diversa organa manducationis & bibitionis, unum oris, quo panis & vinum, alterum fidei, quo corpus & sanguis Christi sumatur, sed unum esse innuit, quo panis & corpus comedatur. Unde denuò sit argumentum: Quo organo Christus jubet accipere panem & vinum, eodem etiam corpus & sanguinem suum edere ac bibere jusfit. At illud ore corporis accipitur. Ergo & hoc. Absurdum enim fuerit, unam eandemq; vocem semel ac simpliciter prolata tam diversas significationes obtinere, ut edere ac bibere, si ad panem & vinum referatur, proprium verborum sensum retineat, sin ad corpus & sanguinem Christi, improprium assumat, & tò edere ac bibere idem sit ac credere. Sed denuò S. Paulum audiamus, qui poculum

culum benedictionis, & panem, quem frangimus, *κοινωνία* esse dicit corporis & sanguinis Christi, quod, qui comedit panem & vinum bibit, simul corporis & sanguinis Christi particeps fiat, I. Cor. x. 16. unde novum nascitur argumentum: Qui comedit in Cœna panem, & bibit vinum, ille edendo & bibendo particeps fit corporis & sanguinis Christi. Atqui omnes, qui cœnâ utuntur, id faciunt, ergo & iis ipsum Christi corpus & sanguis communicatur. Idem Apostolus I. Cor. xi. 27. indignos, qui certè fide carent, ipsum corpus & sanguinem Domini edere ac bibere dicit, imò damnationem sibi accersere, & reos corporis ac sanguinis pronunciat, quòd corpus Domini ab aliis communibus cibis non discernant, sed irreverenter illa edant & bibant. Quibus equidem argumentis omnibus (possent autem iis plura facilè addi) id quod probatum ire cupimus, tam apertè evincitur, ut à nemine, nisi improbo, negari possit. Et quanquam habeant adversarii, quæ reponant, ea tamen neminem movere debent, cum vel DEI omnipotentia limites figant, vel Christi veracitatem in dubium vocent, vel deniq; sensuum & rationis potiùs iudicium, quàm fidei simplicitatem sequi malint. Quare mittamus eos, & ad formæ descriptionem progrediemur.

XXXIII. Illa autem variis actionibus constat, ut ex institutione, & verbis factisq; Domini manifestum est. Nempe *sumpsit panem, benedixit, fregit, dedit, dixit, Accipite, comedite, hoc facite. Similiter & vinum.* Ex quibus quædam essentielles sunt, & de substantiâ Sacramenti, ut elementorum consecratio, distributio, manducatio & bibitio, quædam verò extrinsecæ & accidentales, ad circumstantias loci, temporis, personarum aut objecti pertinentes. Quod ex Christi & Apostolorum exegefi & explicatione discendum est. Quas actiones enim illi per verba imperativa præcipiunt, & alio imperativo *facite* includunt, & ex quibus communionem, quæ est inter panem & corpus, vinum & sanguinem Christi, dependere dicunt, illæ sine omni dubio ad formam Sacramenti essentialem pertinent, reliquæ non item, sed tales habendæ sunt, quas vel prorsus omittere, vel ad descriptionem subjecti aut objecti

rererre liceat. Pontificiorum autem confectæ, futiles ac super-
stitiosæ actiones, quas circa hoc venerabile mysterium excogi-
tarunt, nec ad essentiam, nec accidentia ejus propriè perti-
nent, quædam etiam totam Sacramenti naturam evertunt ac
tollunt. Quare non est, ut de iis multa dicamus. Sed nec de
effectu Eucharistiæ quicquam addimus, quem pleriq; hæretici
quidem significativum tantum & repræsentativum faciunt,
Christus verò remissionem peccatorum, salutem ac vitam
æternam inde haberi asserit, cui magis equidem credendum
puto, quàm si totus mundus, & quicquid uspiam est, adversa-
riorum contrarium asserat.

SOLI DEO GLORIA.



Qui modò rellinquens Varnum conscendis ad Urbem,
Quà Scatet Aoniâ naviger Albis aquâ,
Bella moves: dubiis contorta Sophismata Scriptis
Acri judicio sternis, & arte feris.
Perge bonos posthæc, MEIBOMI, promere fructus:
Jovæ sic in agro non eris arbor iners.

Johannes Meisnerus D.
h. t. Rector.

Ad Clariss. Dn. Respondentem.

DE COENA, docto MEIBOMI disseris ore
& Verbis Domini diluis omne Nefas.
Quantum operæ pretium est, Fidei Mysteria rectè
tradere & ipsius ore probare DEI!
Gratulor ex animo, Dominum veneratus ut olim
præmia tam sancto digna labore duit.
gratulab. f.

Andr. Kunadus, D. P. P.

MEIBOMI, Charum pectus, dum Corporis hujus
Surrecturi iterum quondam inviolabile pignus,
Augustas

Augustas animæq; epulas, missusq; lacratos
Expendis doctis thesibus sub *Præside magno*
Laudo pios ausus, simul ac Tibi pectore toto
Gratulor, exoptans *dignum Conamine fatum*,
Et tecum ut *Domini*, quæ cœpit *Gratia*, pergat.

Sincerè favens vovit

Johann. Andreas Quenstedt, SS. Th. D.

Ejusdemq; P. P. Extr.

Objectum, quod habet tua dissertatio, Clare
MEIBOMI, dici nobile jure potest.

Cœna tibi *DOMINI* doctrina vel omnibus æque

Defendenda piis, dulcis amice placet.

Macte Vir egregio musarum munere digno

Et sacrata tui ritè tuere *DEI*.

*Paucis hisce Viro Juveni egregiè erudito & eruditè egregio,
Amico suo chariss. affectum suum testabatur*

M. Christianus Schultz / Zanov. Pomer.

Qualis ut in castris generoso pectore miles,
Qui Sacramento Marti se obstrinxit atroci,
Sub trepidis, hosti, juvenili robore, signis
Occurrit, manibusq; manus & verbera miscet,
Nec timet ignitos volucres: quæ stupea flamma
Fert mala contemnit: nil ferri ponderat ictus:
Cum ballista domos, homines catapulta supinat,
Ridet, & impavidum scit sanguine pascere pectus,
Expectatq; trophæa, subactis hostibus, alta.
Optime *MEIBOMI*, patria spes vitæq; Matris,
Sic quoq; sub *CHRISTI* nomen vitamq; professus
Vexillo, nuper modò *Varni* suavis ad undas,
Insuper *Albiacis* jungens tua fœdera Musis,
Prælia docta cies, divini Nominis hostes
Proteris, atq; sacrâ rhomphæâ instructus acuta
Hæresiarcharum contundis Lemmata: *COENAM*,
Quam voluit Dominus monumentum & pignus amoris,
Fortiter is defensum. Præmia digna manebunt
TE; nam splendidior cœlò *TIBI* Cœna paratur.

*Sic doctissimo Dno Disputanti, Populari ac amico
suo intimo congratulari voluit*

Johann-Christoff Mushard. Brem.

Ceu plantata loco largissima brachia jactat
 Arbor frontano, profundum flumen inumbrans
 Frondosis foliis, gignensq; uberrima foetus
 Munera persapidi: Sic hic versatus in agris
 Leucoreos doctis doctus *MEIBOMIUS* albæ
 Conatur meritò luci committere crenâ
 Ardua pro genio vigili, *Mysteria Cœne*
 Pertractata *Sacræ*. Divini Numinis aura
 His adsit cœptis, conamina cuncta gubernans,
 Ut factis actis honor amplificetur Jovæ,
 Ac Evax vigeat non urbe sed orbe per amplo
 Gloria præcellens, quam fama favorq; sequantur!

*Ita vovet Dno suo contubernali atq;
 consalino dilectissimo*

Samuel Bürgerus, Regenvvald. Pom.

Rondeau.

Die Tugend bleibet stehn: Wer sich darauff will gründent
 Muß embsig schlagen nach / damit Er möge finden
 Was keine Zeit verzehret: Was Jhn aus diesem Plahn
 Der Sterblichkeit entzieht / und hebet Himmel an.

Herr Weibohm / Pallas Sohn / dürfft Ihr euch unterwinden
 Auff unserm Weissen Berg die Fackel anzuzünden
 So nimmer nicht verlescht? Ja recht. Ihr werdt erfinden
 Durch eure Müß und Fleiß das / was nicht sterben kan:
 Die Tugend bleibet stehn.

So fahret immer fort! Denn wer wil überwinden
 Der Kezer falschen Wahn / muß sich stets feste binden
 An Gottes reine Lehr. Ob gleich der blaue Zahn
 Der Theons-Brüder sticht / was gehet Euch das an?
 Denn dieses alles muß wie Staub und Schnee verschwinden:
 Die Tugend bleibet stehn.

Christoff Salmsdorff.

F I N I S.

VD 17

17

21 v

